DE CHLOROSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN I. R. UNIVERSITATE...

Giuseppe Dalla Vedova

24

DE

CHLOROSI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN I. R. UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

RITE ASSEQUENDOS

PUBLICE EXPONIT

JOSEPH DALLA VEDOVA

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIX.

DE CHLOROSI

Pathologi, et Medici Practici inter tot morbos, quibus humanum organismum saepe numero afflictatur, illum ad diligentissimum examen vocare debent, qui utrique sexui, nonnullorum judicio, communis est, non ita autem mihi talis videtur, qui nullam in viris organi digerentis alterationem deprehendo, sed conditionem pathologicam in organo feminarum proprio inesse animadverto; unde aliorum et praecipue Hoffmanni opinioni subscribam necesse est, qui ait: *Sexui vero virili numquam, ut nonnulli delirantes somniarunt, hic tribuitur morbus, sed solum ad sexum restringitur sequiorem.* Chlorosim autem, quae viris tribuitur, cachexiam esse judicamus. Hic vero morbus est hujusmodi, ut tum morales, tum physicas facultates pervertat; cerebrum enim frequentissimis impressionibus afficitur, quae illam sensationem et perceptionem excitant, unde natura ad sui ipsius reproductionem invitatur; organum autem ad generationem destinatum, et gustus, et viae digerentes perturbantur maxime, ex quo tristis ille et eodem tempore suavis color in facie apparet, quem Ovidius consulebat:

Palleat omnis amans, hic est color aptus amanti.

Chlorosis in *primitivam* et *secundariam* dividi potest. Prima tempore pubertatis enascitur, altera tempore suppressae menstruationis. Haec distinctio necessaria esse nobis videtur, non jam, quod una conditionem pathologicam ab alia diversam habeat; utraque enim a perturbata ejusdem organi actione pendet: sed quod secundaria majoris efficaciae remedia in cura sua requirat.

Eamdem esse in utraque chlorosi pathologicam conditionem, ex observatione ipsius morbi satis superque patet.

Certe prima morbosa phaenomena, quae tum in una, tum in alia chlorosis specie manifestantur, sunt tensiones, et dolores, qui a lumbis ad regionem hypogastricam feruntur, et ad inguina, et coxas propagantur. Verum siquidem est, hujusmodi phaenomena plus in amenorrhoicis, quam in puberibus observari; sed quotiescumque animadvertimus, ipsa proficisci ex affluxu sanguinis ad uterum concurrentis, qui mechanica gravitate sua tensionem quamdam inducit in chordis ejusdem uteri propriis, mirum esse non debebit, symptomata eadem plus in amenorrhoicis apparere: quae quidem quum ob praecedentes menstruationes vasa habeant dilatata, major horum sit oportet capacitas, major hinc sanguinis affluxus, et tensio, ceteraque similia. Quum vero ita innormales fiant uterinae functiones, prodeunt cito sympathicae ventriculi affectiones; hinc dyspepsia continua, frequens nausea, lingua contecta superficie albo-mucosa, ciborum fastidium, vomitus, ventriculi turgescentia, dolor fere continuus ad cor-

dis scrobiculum, et ructuum acidorum exhalatio; quae phaenomena minime possunt ex se existere ob summum consensum inter uterum et organum gustus, cujus papillae quum jam praeternaturaliter morbosae factae sint, afficiuntur extremitates, quae affici possunt, nervorum; unde in centro maximo excitatur sensatio appetentiae vitiosae, quam Pathologi malaciam vocant. Et hujus quidem depravati appetitus lanae, cerae, gypsi, carbonis, calcis, et cujuscumque alimenti extraordinarii et pessimi exempla nobis suppeditant Forestus, Zucatus, Lusitanus, Etmullerius, Sauvagesius, aliique. Ventriculo sic perturbato, consequuntur canalis enterici perturbationes, qui affectionem suam prodit borborygmis, colicis vagantibus, flatibus, turgescentia, aliisque morbosis phaenomenis. Quod si morbus progrediatur, colorem pallidum, qui digitorum impressioni resistit, pellis induit, inde respiratio brevis et laboriosa fit, adest gravis anxietas praecordiorum, palpitationes et syncopes recurrunt et iterantur vel levissima de causa. Systema autem vasculare arteriosum motibus innormalibus cordis respondet; hinc pulsus sunt parvi, exiles, frequentes, celeres, et variabiles ad quemcumque physicum et moralem motum. Qua quidem chlorosis forma stabilita, febris mitissima et fere nulla a principio sub aspectu lentae consumptivae manifestatur. Hoc autem tempore maxime exsurgunt phlogoses erysipelatosae partiales in diversis organis, unde diversae hydropes nascuntur, quae plerumque exitus chlorosis esse solent. Itaque certum indubi-

tatumque est, camdem esse chlorosis primariae, et secundariae pathologicam conditionem, eo quia in utraque apparet eadem morbosorum phaenomenorum progredientium series.

Ex his, quae brevi diximus de chlorotici morbi progressione, existimo satis innotescere veram ejusdem conditionem pathologicam, in qua tamen Pathologi non conveniunt. Sed omissis hypothesibus, quas excogitarunt primorum temporum Medici, et in fluidorum alteratione collocarunt, omissis etiam illis temporum posteriorum, id solum dico, hypotheses recentiores, et in scholis nostris receptas, esse defectum oxygeni, quod celeberrimus Brera admittit, gastroenteritem chronicam ex opinione Baras, tandem arteritem diffusam, et angioitidem.

Haec vero pathologicae conditionis notitia necessaria est, eo quia, quemadmodum experimento probamus, remedia praeter actionem excitantem et deprimentem, habent etiam peculiarem affinitatem excitandi, vel debilitandi potius unius, quam alterius organi, aut systematis organici, atque hinc cantharides collum vesicae irritant, folia taxi baccatae vim cordis et arteriarum deprimunt, et alia similia contingunt: ita, quum medicus conditionem veram pathologicam deprehenderit, sciet ipse illud remedium praestare, quod peculiarem cum organo affecto affinitatem habet, et simul, morbosis pathologicae conditionis phaenomenis observatis, rectum de natura morbi judicium feret.

Sed ut convenienter de pathologica chlorosis conditione judicemus, oportet ante omnia

tempus observare, quo primum morbus evolvitur, deinde quaenam sint praecipua symptomata, quaenam causae.

Si loquimur de chlorosi, qua affici solent puellae tempore pubertatis, vel ante primam menstruationem, animadvertimus, huic morbo facile obnoxias esse puellas temperamenti melancholici, pituitosi, lymphatici, quae vivunt in aere parum oxygenato aut imbuto miasmatibus, aut humido, cujus alterata qualitate minor quantitas oxygeni miscetur cum principiis gasosis eliminatis a periphaeria nostri corporis, et a pulmonibus, ut a statu gasoso ad liquidum transeat, et a vasis lymphaticis absorbeatur illud elementum bonae chilificationi et sanguificationi maxime necessarium: quamobrem oxygeni defectus tamquam causa ad chlorosim praedisponens accipienda est. Incidunt praeterea in hunc morbum illae, quae parum nutrientibus et indigestis cibis vescuntur; quae animi pathemata tolerant et praesertim amoris vim sentiunt, unde tristitia et melancholia sequitur; quae uno verbo causis individualibus subjiciuntur tum internis, tum externis, a quibus solidorum vis diminuitur, atque debilitatur. Hinc etiam notamus, organismum puellarum, quae pubertatem attingunt, et memoratis jam causis obnoxiae sunt, in statu debilis reactionis versari. Verum ubi femina ad illam aetatem pervenit, qua natura elaborat in perfectione organorum speciem humanam reproducentium, tunc facultates vitales, quae in infantia ad vegetationem destinabantur, omnes hoc tempore circa organa sexus feruntur, ac pro-

pterea uterus majori actione et vi donatur, affluente ad eumdem majori sanguinis copia; sed quemadmodum organica, ut observavimus, debilitas praeexistit, ita fibrae uteri vasculares, potiusquam reactionem faciant affluenti sanguini, ut hic per poros laterales maneat, et utilis menstruatio contingat, cedunt facillime ejus pressioni, et illa congestio efficitur, quam angeoidesim appellamus. Atque hoc nimirum tempore puber et ad chlorosim propendens femina morbo se affici sentit; tensiones enim, et dolores patitur, qui a lumbis ad regionem hypogastricam feruntur, et ad inguina et ad coxas propagantur, quae phaenomena morbosa pendent a distentione uteri in sua ligamenta propter auctum pondus et volumen.

Observato igitur tempore, quo prima morbosa symptomata apparent, scilicet tempore pubertatis, quo uteri vitalitas major fit, observatis morbosis phaenomenis, quae propria sunt perturbatae actionis uteri, videtur mihi posse concludere, conditionem pathologicam in utero existere, et aliorum systematum affectiones, nonnisi consensuales aut secundarias esse.

Revera nullo modo haberi potest haec alteratio hydraulica uterina, quin uterus praeternaturalem stimulum sentiat, et in morbosum processum incidat; quod quidem aperte demonstrarunt secta cadavera chloroticarum puellarum, in quibus testimonio Morgagnii et Del Montii uterus inventus est valde volumine suo diminutus: ex qua re existimamus, pressionem, quam vasa congesta venosa in arterias nutritioni uteri inservientes exercent, eorum fun-

ctioni esse impedimento. Hic uteri status ex nervosa sympathia excitat in ventriculum morbosam conditionem, unde ipsius functiones perturbantur, et consequens depravatio gustus, quae in ventriculum noxiae qualitatis substantias introducit, ita mucosae membranae irritationem auget, ut lentus processus phlogisticus locum habeat: atque hinc Baras id sibi persuasit, pathologicam chlorosis conditionem in gastro-enterite chronica consistere, quam tamen nos effectum sympathicum affectionis ad uterum recognoscimus. Ob innormalem hujusmodi gastricam actionem cibi, qui pravae digestionis sunt, opportunam chimificationem subire nequeunt, et innormalis etiam fit chilificatio primum, deinde lymphatizatio; sicut vero tribus his processibus sanguificatio subjecta est, sic in viis circulationis non bene assimilatus percurrat oportet sanguis, et idoneus ad organicas moleculas reparandas, quae in vitae functionibus dilabuntur; fluere autem hujusmodi sanguis debet, qui percursos canales irritet, et in iis lentum processum phlogisticum vascularem excitet, in quo idcirco nonnulli pathologicam chlorosis conditionem posuerunt, et arteritem diffusam vocarunt illi, qui inflammationem ad solas arterias restringunt, angioitidem illi, qui ad omne systema vasculare sanguineum extendunt; quod quidem extremum vero similius videtur, si causam observamus, unde chlorosis existit. Ex hac praeternaturali sanguinea assimilatione moleculae nutriciae, quae in variis organis ad eorumdem nutritionem secernuntur, quum non sint praeditae ne-

cessariis qualitatibus, ut eamdem, ac moleculae organi, actionem habeant, et illud aequilibrium moleculare constituant, a quo salus pendet; sequitur, ut ipsae, veluti substantiae heterogeneae in organicum textum intromissae, inducant perturbatas oscillationes, atque irritationes, ex quibus oriuntur in variis organis lentae phlogoses erysipelatosae hydropem inferentes.

Sed ego, qui analyticam demonstrationem suscepi conditionis pathologicae hujus morbi, nullam de chlorosi primaria mentionem feci; id autem ex eo, quia utraque easdem causas habet, eumdem morbosum progressum. Quod si quis ita rem se habere non credit, quia chlorosim secundariam feminae etiam patiuntur temperamenti robusti, consideret is, et videat oculis perspicacibus Pathologorum, amenorrhaeam subsequi saepissime, ubi femina amorem, quo virum aliquem deperit, oppugnatum sentiat ab aliis: tristitia enim et melancholia inde exsurgit, ut jam diximus, quae, quantum in nervis debilitandis valeant, evidenter ii declarant, qui de Pathologia disserunt. Constat ex his, quae hactenus exposuimus, esse in utero pathologicam chlorosis conditionem, et lentam gastroenteritem, et angioitidem, et subsequentes partiales phlogoses erysipelatosas nihil aliud esse, quam morbos secundarios.

Quod si summi momenti esse asseruimus cognitionem pathologicae conditionis chlorosis, maxime necessaria est etiam notitia illius naturae, ut remedia aut excitantia, aut depri-

mentia applicentur, prout morbi essentia requirit.

Considerare oportet, causas praedisponentes esse individuales internas et externas, quae solidorum vim imminuere et debilitare possunt; causam occasionalem, scilicet angioidesim uterinam, nec deprimentem, nec excitantem, sed simpliciter mechanicam esse; symptomata, quae enascuntur, esse tantum nervosa, unde ventriculi functiones, et gustus organum perturbantur. His positis, videtur mihi chlorosis, saltem ab initio, esse diathesis hyposthenicae irritativae, vel actionis irritativae in hyposthenicum elementum. Dixi, saltem ab initio, quia corpus extraneum non potest diutius afficere organum tam sensibile, nempe uterum, quin processum phlogisticum inducat. Hic autem processus citius aut serius explicabitur pro majori, aut minori propensione individui ad phlogoses; quamobrem in chloroticis amenorrhoicis, idest in chlorosibus secundariis, quum in his textum organicum majori vi polleat, ita difficilius fibra praeternaturalem congesti sanguinis stimulum tolerabit, atque idcirco celerior et magis intensa phlogosis consequetur, quae per irradiationem ab utero ad genitalia externa discurrens talem pruritus sensum excitat, ut nymphomania exurgat; tanta autem est deinde impressio facta ad centrum maximum, et ad centra subalterna, ut affectis cerebri moleculis animus illico feratur ad objectum amoris sui, unde existit morbus nervosus, cui erotomania nomen est.

Nunc vero ipse rerum ordo requirit, ut, con-

ditione chlorosis pathologica, ejusque natura jam considerata, ad methodum curativam gradum faciamus.

Ac primum promoveri debet menstruatio, et generalis debilitas tolli restitutione illius principii, quo sanguis caret. Hinc indicata remedia sunt praeparata martialia, ex his illa praesertim, quae cum majori oxygeni quantitate commixta sunt. Hoc pharmaco in organismum intromittitur oxygenum, quod bonae chilificationi et sanguificationi necessarium elementum diximus: praeterea remedium praescribitur, quod in organicam assimilationem agit, idest ferrum; tandem quum hoc habeat affinitatem electivam in uterum, ad menstruationem promovendam aptissimum est. Quantae vero efficaciae et virtutis in chlorosi sit hujusmodi remedium, testantur experientia sua Medici omnium temporum, et ipsi etiam, qui empirici nominantur. Sed antequam ferro utamur, observandum est, quis sit status organi gastrici, cujus morbosa phaenomena perturbatam uteri actionem statim subsequuntur, ne forte praeparata ferruginosa, villosam ventriculi tunicam afficientia, ejusdem statum morbosum augeant. Namque haec sympathica, et subita irritatio, quam inducit vitalitas uteri perturbata, in idiopathicam et permanentem verti potest, ita ut quasi quoddam centrum morbosum efficiat. Ubi irritatio gastrica est solum sympathica, quod ex depravatione gustus, ex defectu sitis, ex albida lingua, ex pulsationibus ad regionem epigastricam constabit, eam mitiorem reddemus, si ante ferrum praeparatum sumendas da-

bimus potiones mucilaginosas, gummosas, gelatas, et bismutum cum magnesia. Quod si irritatio fiat permanens, idiopathica, conjuncta cum siti, cum lingua muco cooperta, cum dolore ad stomachum, qui vel sub minimam alimentorum quantitatem exacerbatur, praeferenda sunt blanda evacuantia, ut cassia, cremor tartari, manna, senna, rhabarbarum, magnesia, thamarindus, et clysteres emollientes. Quum vero irritatio in statum lentae conditionis phlogisticae abierit, juvat curativae methodo adjungere phlebotomiam in brachio, applicationem hirudinum ad regionem epigastricam, et simul praescribere diaeteticum regimen, quod morbosam ventriculi conditionem augere nequaquam possit. Ita, conditione gastrici organi in melius conversa propter diminutionem, aut sublationem irritationis sympathicae, vel realis, quae in ipso extitit, confugiendum erit ad martialia, quae longiori tempore administrabuntur, ut organica assimilatio confirmetur, et menstruatio promoveatur. Haud multum differt cura chlorosis secundariae; sed hic animadvertendum est, quod si menstruorum suppressio contingat in puellis temperamenti plethorici, aut biliosi, in quibus magna sit organicae fibrae reactio, sanguinis missio necessaria est ante usum remediorum internorum, et hirudinum applicatio ad genitalia externa, vel ad anum; uterus enim, ut vidimus, facile processui phlogistico obnoxius est.

Sed ut chlorosis tam primariae, quam secundariae cura optime succedat, convalescentia

recte instituatur, et recidivae periculum evitetur, alia quaedam generatim adjungenda sunt. Femina, quae jam ex morbo convalescit, aerem purum et elasticum respiret, opus est; caveat ab humido et insalubri domicilio, corpus moderata exercitatione et motu regat, cibis facilis digestionis utatur, aquas ferruginosas naturales, vel artificiales sumat; tandem si amoris vi, aut alia ardenti cupiditate capiatur, hilaritate vultus, tranquillitate mentis, solatio, sermonibus, et praecipue moribus recte institutis, juxta philosophiae praecepta vitam degat.

THESES

I.

Febres legitimae inflammatoriae numquam intermittentes.

II.

Status plethorae quoad sanguinis excessum in dubium revocatur.

III.

Olea cathartica inter deprimentia cuncta enumerantur.

IV.

Olea deprimentia inter cathartica raro enumerantur.

V.

Cortex peruvianus tantum in febribus intermittentibus febrifuga facultate pollet.